



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Hieronymi Stridonensis, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Epistolae In Tres Libros distributae

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Coloniae Agrippinae, 1674

XXI. Ad August. Dn. verè. Cùm à sancto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37862

XXI Hieronymus Augustino Episcopo, quem resalutat, excusans quod liberini responderit, & invitans ad placidum genus scribendi.

Domino verè sancto & beatissimo papæ Augustino Hieronymus in Christo salutem. Cum à sancto fratre nostro Firmo sollicitè quærerem, quid ageres, sospitem te latus audivi. Rursus cum tuas literas non dico sperarem, sed exigerem, nesciente te ex Africa protectum se esse dixit. Itaque reddo tibi per eum salutationis officia, qui te unico amore complectitur: simulque hic obsecro, ut ignoscas pudori meo, quod diu ut rescriberem præcipienti, negare non potui: nec ego tibi, sed causa causæ respondit. Et si culpa est respondisse, quæso ut patienter audias: multo major tibi est provocasse. Sed facessant istiusmodi querimonia: sit inter nos pura germanitas, & deinceps non querarum, sed charitatis ad nos scripta mittamus Sancti fratres, qui nobiscum Domino serviunt, affatim te salutant. Sanctos, qui tecum Christi *Mats. 31* leve trahunt jugum, præcipue sanctum & suspicendum papam Alipium, ut meo obsequio salutes, precor. In columem te & memorem mei, Christus Deus noster tueatur omnipotens, domine verè sancte & beatissime papa. Si legisti librum, explanationem in Jonam, puto quod ridiculam cucurbitæ non recipias quæstionem. Sin autem amicus, qui me primus gladio petiit, stylo repulsus est, sit

C

hu-

XXI

humanitatis tuæ atque iustitiæ, accusantem præhendere, non respondentem. In scripturaturæ si placet, campo sine nostro invicem dolore ludimus.

XXII. Hieronimus Augustino Episcopo, Familia est commendans Præsidium Romanæ civitatis, & de multis hereticorum conquerens.

Domino verè sancto & beatissimo papæ Augustino Hieronymus in Christo salutem, Anno præterito per fratrem nostrum Asterium hypodiaconum dignationis tuæ epistolam miseram, promptum reddens salutationis officium quam tibi arbitror redditam. Nunc quoque per sanctum fratrem meum Præsidium diaconum obsecro primum, ut memineris mei. Deinde bajulum literarum habeas commendatum, mihi scias germanissimum, & in quibuscumque necessitas postulaverit, foveas atque sustentens: non quod aliqua re Christo tribuendum indigeat: sed quod bonorum amicitias avidissime expetat, & se in his conjungendis maximum putet beneficium consequutum. Cur autem ad Occidentem navigaverit, ipso poterit narrante cognoscere. Nos in monasterio constituti, varijs hinc inde fluctibus quatimur, & peregrinationis molestias sustinemus. Sed credimus in eo, qui dixit: Confidite, ego vincam mundum: quod ipse tribuente & præfule, con-

JOAN. 16.